

VITÆ  
QUATUOR ARCHIEPISCOP.  
S P A L A T E N S.


Ex Congregatione Somaschenſi

A

NICOLAO PETRICELLI

Ejusdem Congregationis  
Descriptæ.





413

VITA  
BONIFACII ALBANI  
BERGOMENSIS  
ARCHIEPISCOPI SPALATENSIS

*Ex Congregatione Cleric. Regular.  
Somach.*

**B**onifacius Albanus ex ea pro-  
gnatus est Albanorum familia,  
quæ ex Albania, ut fama vul-  
gatur, Turcarum immanitate  
fœdissime vexata Bergomum se recepit.  
Cum enim illud Regnum pro illo tem-  
pore florens Amurathes II. evertisset  
potiùs, quam subegisset, atque ita in-  
humaniter haberet, at neque Joanni  
tum Regi, neque multis filiis ejus par-  
citum esset: Primores Provinciæ ab  
illa intoleranda tyrannide, solo, quo  
poterant, effugio sibi carentes, per va-  
rias se dispertiverunt Italiae urbes, in  
quibus oblitaro familiæ, & servato  
nationis nomine, singuli se Albanos  
appellarunt. Ut ut autem magnam fe-  
cum vim divitiarum attulerint, majus  
tamen est quod convexerunt, patrimo-

S 3 nium

414

*Vitæ quatuor*

nium virtutum; quo uno effectum est, ut omnes inter ejus, quam adierunt, civitatis principes statim ubique recepti fuerint. Hi vero in primis, qui Bergomi confedere, in eum protinus locum adsciti, in quo iis excellerent officiis, ac meritis, quæ deinceps pene totius Europæ Principes, Cæsares, Galliæ, Hispaniæque Reges, Summi Pontifices, Veneta præsertim Respublica, quæ hisce Albanis, utpote suis, in gravissimis belli pacisque negotiis plurimum usa est, amplissimis honoribus ac prœmiis, speciosissimisque titulis per trecentos amplius annos ornarunt certatim, hodieque ornant. Atque hæc ideo etiam dicta sint, ut vel hinc maxime pateat, quales quantique semper fuerint Illyricæ gentis viri, qui vel intra vel extra patrios fines maximis quibusque muneribus & officiis omni ævo pares fuerint civilibus vel ecclesiasticis. Nam & Urbinate Albani summum ætati nostræ dedere Pontificem omni prorsus non modò laude, sed etiam veneratione majorem: & hi Bergomenses medio fere saeculo XVI. Joannem Hieronymum habuere jurisprudentia, & militari consilio super æthera notum, quem post etiam genitos in matrimonio liberos se patre dignos, cum Pius sanctissimæ recordationis Papa V., nactus jam pri-

*Archiep. Spalat.* 415

pridem virtute & zelo similem sibi, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem esse iusisset, nimia deinde celebritas nominis, ut concors est scriptorum traditio, vetuit esse Gregorii XIII. successorem. Ex his Bonifacius patrem habuit Joannem Franciscum Comitem, Equitem, qui tituli singulorum sunt in familia perpetui: matrem vero ex præillustri Brixiae familia Julianam Martinengam, in qua tamen summa nobilitas infra coeteras corporis, & animi dotes esset: natusque est Kal. Aug. MDCXIX. Exacta puerili gravi tamen educatione sub tantis parentibus, & cum quatuor fratribus præclarissimis, uno ex illis Melitensem Ordinem amplectente, ipse Somaschensem ingressus est; in quo cum eximiâ pietate avitum familiæ studium adipisciendæ eruditionis sedulo conjungens, brevi eo pervenit, ut sciens esset omnium, quæ Religionem adolescentibus potissimum instituendis addictam æquum est profiteri. Itaque toto ætatis flore in humanioribus severioribusque disciplinis, qua tradendis, qua moderandis in Seminariis, & Nobilium Collegiis insumpso; neque interim divinæ caritatis operibus in Orphanotrophiis, & Nosocomiis prætermisssis, dum annum ageret septimum supra trigesimum, inter Patres totius Congregationis moderatores

S 4 da-

416

*Vitæ quatuor*

adscitus , quinto post anno Definitor ,  
 mox triennalis Romæ Procurator Gene-  
 ralis , triennio post Generalis Præpositi  
 titulo universæ Religionis regimini ad-  
 motus est . Per hæc cum tota Italia ,  
 præsertim Romæ Bonifacii virtus æque ,  
 ac Albanum nomen innotuisset , &  
 gravioribus curis par judicata esset ,  
 Clemens beatæ memoriæ Papa IX. non  
 annuit modo , sed etiam optavit , ut  
 abdicanti Leonardo Bondumerio suffi-  
 ceretur . Ubi Romæ consecratus in Ec-  
 clesiam venit sibi commissam , cum  
 per id tempus veniret , quo post atro-  
 cissimum viginti quinque annorum bel-  
 lum , pax tandem cum Turcis unde-  
 quaque conterminis diuino munere san-  
 cita est : totus in id incubuit , ut uni-  
 versæ Dicecelsis partes quassas reficeret ,  
 afflictas erigeret , laceras etiam , atque  
 avulsas restitueret , effecissetque omnino ,  
 quo erat spiritu , & ardore in Albana  
 familia genitus , & in Somaſchensi Re-  
 ligione confirmatus , si non cum barba-  
 ris fœdifragis , avidis , ac rapacibus , &  
 quicquid iniquissime arripuerint , ejus  
 retinendi insolentissime avaris res illi  
 fuisset . Nam cum Lubini , aut Albonæ ,  
 quæ olim D. Doimi mense Principum  
 munificentia donata fuerat , sed tum in  
 finium constitutione sub Othomano re-  
 manserat , ut saltem annuos terræ fructus

*Archiep. Spalat.* 417

ab Christianis agricolis exigere liceret, incassum diu multumque institisset: id tamen juris Poglizzæ, quæ per summam nescio cujus Zelibij vim usurpata fuerat, ut quotannis exerceatur, opportunè, importune obtinuit. At neque illud mediocre Bonifacii meritum est, quo amplas Succioratii campestres ædes reparavit, auxit, & in commodiorem usum rededit; nempe ut in posterum Spalati Præsulibus esset, ubi non modo se honestius Deo, sibique abditos recrearent, sed etiam ubi securius ubiores, qui eo potissimum convehuntur, Ecclesiæ proventus sibi, pauperibusque in horrea congererent. Quantum verò illud est, quo urbanum etiam Palatium a fundamētis erexit! Septuagesimus vertebat annus supra centesimum, ex quo Spalatenses Archiepiscopi, diruta funditus per ampla & magnifica propria illis Aula, nullam habebant Spalati nisi conductitiam sedem. Res omnino indigna conspectu, atque etiam auditu foeda: caput a corpore abscissum, paterfamilias extorris domo, Archiepiscopus, & Primas inquilinus! Abstulit tandem hanc urbis, & Ecclesiæ notam Bonifacius, qui per summam frugalitatem, sanctamque in omni sumptuum genere parsimoniam tantum auri argentique sep̄suit, quantum admirandæ, quæ modo

S 5 su.

418

*Vitæ quatuor*

suscipitur , moli & apparandæ satisfuerit , & conficiendæ . Hinc Præsulum dignitati , Ecclesiæ decori , urbis ornamen-  
to , atque etiam Archivij ( cuius  
ratio vel maxime habenda erat ) in-  
demnitati provisum est ; neque enim  
sine publicarum tabularum vel jactura ,  
vel intertremento , vel permixtione fie-  
ri poterat frequens illarum transvectio ,  
quæ contingebat multis identidem de-  
ploranda . Hujus tantæ substructionis  
meritum , tam exoptatae , tamque non  
minus magnificæ , quam necessariæ ,  
quid aliud præmii expetere videbatur ,  
quam diutinam , felicemque in ipsa  
mansionem ? Sed Deus ampliore illud  
remuneratione dignatus , paucis post  
opus absolutum mensibus Bonifacium  
ad se clementer vocatum in beatas cœ-  
lestis aulæ sedes transtulit XII. Kal.  
Martji MDCLXXVIII. Sepultus est  
in monumento Ponzoni , qui Bonu-  
merium proxime antecesserat dececco-  
rem suum ; ingensque fuit luctus totius  
civitatis , quæ jacturam tum quidem  
inopinatam non prius queri destitit ,  
quam desiderium Bonifaci successor opti-  
mus temperavit . Novem , per quos re-  
xit Ecclesiam , anni breve tempus fue-  
re , si cum rebus gestis componas : bre-  
vissimum vero , si statum respicias , in  
quo Ecclesiam regendam suscepit . In-

ve-

*Archiep. Spalat.* 419

venit enim provinciam diuturnitate bellorum adeo corruptam, ita efferatos animos omnium, & a pietate alienos, ut illi diu cum licentia, & contumacia lucretum fuerit, antequam quidquam boni aggredi posset. Ex ipso Clerico non nemo talem imbiberat animo ferociam, ut debitam Præsuli observantiam, certe obedientiam detrectare videretur. Rustici etiam, agrorumque cultores congruentem Archiepiscopali mense negare fructum partem dominumque a fundorum possessione, si possent, exturbare. Sed Bonifacius primo Clerum ad Ecclesiasticam disciplinam, morumque honestatem revocatum perfecta sibi observantia, & caritate conjunxit: deinde reliquam multitudinem paulatim permulcendo, tractandoque mansuetam in Dei timore, & Christiana pietate constituit. Idque pastorali quidem, paternaque sollicitudine, & caritate obtinuit, sed & nativa quadam auctoritate, & verenda nefrias qua illius, ut Albani, propria vultus, & oris asperitate cum devinciente comitate conjuncta. Rusticos vero etiam liberalitate expugnavit, quippe qui parcissimus sibi in alios mire munificus erat. Nam cum res ad litem deduxta esset, eamque rustici & coram Spalatensi Judice, & coram supremo

420 *Vitæ quatuor Æc.*

universæ Dalmatiæ Moderatore disceptatam bis perdidissent, id consilium injerunt, ut etiam Venetias venirent, ubi tertio jus experirentur. Sed quid? pecunia deerat ad necessarias expensas, quam ut per fas, & nefas undequaque congererent, omnia sus deque miscere cogitabant. Bonifacius, ut averteret tantum mali; & controversiam miseris exitiosam tandem dirimeret, primores illorum ad se vocat nihil timere jussos. Quibus, ut venissent, numerata non mediocri pecuniæ summa, irent Venetias, inquit, bonis avibus: pecunia, quam ad arcenda, quæ meditabantur, mala, libenter dabat, adversum se sua pro libito uterentur: litem sibi rursus intenderent, de qua bis cecidissent: scirent modo ne ibi quidem defuturos, qui Ecclesiæ causam sedulo sustinerent: redirent incolumes; sed quicunque litis exitus futurus esset, quem ipse commodum illis sperare nesciret, quiescerent tandem, atque Ecclesiæ pacem, & suam turbare desinarent. Nihil hoc consilio efficacius, post quod ii rustici feroce, atque avidi Archiepiscopo ita obnoxii fuere, ut nemo aliis vel ante, vel post illum æquiores habuerit, neque obsequentiores.

421

VITA  
STEPHANI COSMI  
VENEZIA  
ARCHEPISCOPI SPALATENSIS

*Ex Congregatione Cler. Reg. Som.*

**H**ujus eximii Præfulis vitam  
ita operosam reperio, & in  
bene factis ad o multipli-  
cem, ut verear, ne qui de-  
scriptam legent in posterum, dubitatu-  
ri fint, non tam rerum numero, quam  
institutorum sibi pene adversantium va-  
riete, an unius hominis vitam cre-  
dant. Nam Stephanus Cosmus ita re-  
bus agendis, ita simul literarum studiis,  
ita etiam pietatis, ac religionis operi-  
bus deditus fuit, quoad vixit, ut nulla  
sui parte videretur in singulis esse pos-  
se, qui tamen totus erat in universis,  
nunquam non in ædibus Principum,  
nunquam non in Lyceis, nunquam non  
in Sanctuariis. Natus est Venetiis VIII.  
Kal. Octob. MDCXXIX. parentibus  
tantum non patriciis, cæterum perno-  
bilibus, Joanne Cosmo, & Catharina  
Ale-

422

*Vitæ quatnor*

Alexandrina , quorum utriusque splendor familiæ ex nobilissimis sub Austria-  
ca Dominatione etiam nunc florentibus familiis oriundæ , non mediocribus in Venetæ Reip. servitio ministeriis perfundæ , alterius in ipso Stephano extinctus est , alterius in uno Somaschensi Patre Joanne Francisco Alexandrino non obscuro nunc Tridentini Seminarii lumine extinguitur . Undecimo ætatis anno , cum pueritiam sub matris præfertim educatione virilis prorsus animi fœminæ pie , graviterque transfigisset ; traditus est cætera erudiendus Patribus Congregationis e Somasca in Seminario Patriarcali Muriani jamdiu tum profitentibus . Ibi Grammatices , Rheticæ , & Philosophiæ cursibus mira non tam celeritate , quo progressione , sexennio scilicet absolutis , ejusdem Congregationis habitum , licet unicus esset in familia , efflagitavit , & obtinuit a Patribus tam non invitis , quam ipsius indolis non ignaris . Ut autem completo probationis anno solemnibus votis religioni se obstrinxit , Romam missus primum , deinde Mediolanum ad reliquas disciplinas percipiendas , uno triennio , qua jam notus erat ingenii felicitate , factus est oppido maturus ad omnes etiam tradendas . Itaque Venetas revocato injunctum est munus ipsos docendi sui Ordinis

nis alumnos primum quidem politiores literas, ad quas potissimum factus videbatur, deinde etiam Philosophiam. Quo in munere talem se praestitit, tantumque sibi eloquentiae, sapientiaeque celebritatem paravit, qua suis suorumque experimentis publice dandis, quilibet modo Oratoriis, modo Philosophicis edendis [eo præsertim, quo primus in Italia Democritum ab inferis excitatum ex atheo pium fecit, & non modo cum Peripatetica, sed cum Christiana Philosophia conciliavit] ut tota jam civitate unius Cosmi institutio expeti cœperit, & postulari. Quare nondum sex & viginti annos natum supremi studiorum Moderatores publicum Urbis Rethorem, hoc est Venetæ eloquentiae conformatorem diligunt, neque multo post excelsum Decemvirorum consilium Ducalis etiam Cancellariæ magistrum, ut eos erudiret cives, quorum est publicæ Majestatis consulta effari, aut scripto pro dignitate committere. Tum vero singulæ prodiere Orationes illæ Panegyricæ, quas Cosmus pro re nata juvenili ardore biduo, vel triduo, ut in funere solet, effusas, cuperbat, sperabatque paucis diebus perituras, sed postmodum publica utilitas suasit uno volumine comprehensas rursum emitti. Tum etiam selectissimos Patri-

ciorum inter auditores habere cœpit tam multos, ut nemo unus illorum reperiatur, modo aliqua doctrinæ laude floret, qui Cosmo studiorum suorum adiutorie usus non esset; neque semel contigerit, ut qui uno tempore apud exteris Principes Legatorum munere fungebantur, omnes Cosmo præceptore gloria-rentur. Hinc illi semper ad primores urbis non modo apertus aditus, sed etiam pene necessarius accessus. Patricii pluri-mi, qui nondum togati institutorem fortiti fuerant, etiam purpurati frequentes eum convenire, & ad mirandam illius eloquentiam suam conformare. Serenissimi Principes Contareni, Sagredus, Valerii pater, & filius amantissime illum, & honorificentissime semper excipere, illiusque observantiam, ac pene amici-tiam inter tanti principatus fortunas nu-merare. Senatus amplissimus publicis il-lum beneficiis & cohenestationibus au-eturus magis in dies librorum Cenforem, & denique veluti in tanti regiminis con-sortium admissum Clementinæ Bullæ con-servatorem, hoc est sacrorum Reipubli-cæ, mysteriorumque interpretem esse ju-bere. Exteri quoque Principes Sabaudiæ, Mutinæ, & Hetruriæ Duces, Parisien-sis aula, & Viennensis Cosmum vel ho-spitio & allocutionibus, vel libris & mandatis dignari; suam etiam facere

*Archiep. Spalat.* 425

niti, præfertim Carolus Franciscus Emmanuel, qui regnantis modo Victorii Amedei filii sui institutorem cupiit, & postulasset, si Venetos eum ab se discedere pati libenter posse, sperare potuisset. Interim vero Cosmus neque sui, neque suorum oblitus ita Religionis bono, ita etiam incremento consuluit, ut si huic uni negotio intentus cætera omnia nihil pensi habuisset. Omnibus pene Congregationis muneribus integerrime perfundetus, per omnes dignitatum gradus ad supremam proiectus est, facta sibi non via, sed necessitate quadam ab una ad aliam, quod singulas aliquo insigni vel exemplo, vel beneficio honestaret; nunc impetrata ab Senatus Veneti munificentia præstantissima totius urbis Basilica S. Mariæ Salutis; nunc datis in regimine alterutrius Seminarii Ducalis & Patriarchalis ideis, ac regulis adolescentes pietate, ac literis probe imbuendi; nunc deducta in nova Collegia Somaschensi familia, veluti Feltriæ in SS. Victoris & Coronæ cum ampla ditione, ac parœcia, & Veronæ in S. Zeni in Monte cuius in vertice celebrem instituit Nobilium Academiam, notissimum illud tunc temporis Ecclesiastico-rum, Civiliumque Procerum Seminarium. Sed præcipue [quæ potior illi cura semper fuit] in id enixus, ut re-

gu-

426

*Vitæ quatuor*

gularis disciplina, & religiosa perfectio augeretur in dies, utque instituti ad docendum Ordinis adolescentes ( quæ secunda illius erat sollicitudo ) sacris in primis, deinde etiam profanis literis, quam maxime excolerentur ; neque ea verbis modo, & quibus mire pollebat adhortationibus exigens, sed operibus & exemplis commonefaciens assidue, ipse legum suarum custos acerrimus, & in orationem, in psalmodiam, inque omnigenæ pietatis functiones, & post hæc in studia effusissimus. Cumque semper hæc illius vita & consuetudo fuerit, tum vero maxime fuit cum Provincialis, aut Generalis titulo præsideret ; quo tamen tempore suam illam scripsit, editque historiam Italizæ, Galliæque studium, ac delicium, qua Joan. Francisci Mauroceni S. R. E. Cardinalis præclarissima gesta, stylumque suum non minus illustrem mandat æternitati. Nempe illa in actionibus & officiis esse, literarum studiis vacare, & de religione satagere promiscuæ Cosmo res erant, qui negotia quæcunque sua studiorum causa, vel occasione agitabat, studia vero referebat ad Deum utique eruditioibus cognoscendum clarius, adeoque impensis amandum, colendumque. Haec tenus Cosmus, dum Soma-schenibus Patribus virtutum omnium exem-

*Archiep. Spalat.* 427

exemplo, atque ingenii splendore præ-  
luxit. Archiepiscopus ab Innocentio XI.  
defuncto Albano suffectus nihil ex hac  
vitæ ratione immutavit, nisi quod au-  
xit hæc omnia, & in editiore loco po-  
stus ampliora fecit & illustriora. In-  
scius electus, & nihil tale cogitans,  
sola commendatione virtutis, cum ta-  
men impatienter optaret provinciam  
capessere a Sanctiss. sibi Pontifice in-  
sanctam, non licuit illi arcano quodam  
Dei consilio, nisi quinto fere post ele-  
ctionem anno, fortasse ut renovato in-  
terim cum Turcis bello ad difficiliora  
reservatus tempore videretur. Igitur  
anno MDCLXXII in Dalmatiam pro-  
fectus ineundos pro Ecclesia sua labores  
auspicatus est synodo Provinciali, cuius  
prudentissima decreta publicæ luci ex-  
posita, & ab omnibus, qui de rebus  
Ecclesiasticis judicare possunt, sed præ-  
sertim a Clar. V. Francisco Genetto  
Vasionensi Episcopo summopere lauda-  
ta, inque suæ Moralis Theologiæ pro-  
bationes passim exscripta, aliis subinde  
Diœcesanis singulorum prope annorum  
synodis instaurare consuevit. Inde non  
modo illi Clerus perpetuo sanctus, &  
sedulus fuit, sed idem ipse [quoniam  
nihil unquam præcipiebat verbo, quod  
non adhortaretur exemplo] tam sollici-  
tus, ac laboriosus, ut nullo non die in

ea-

428

*Vita quatuor*

ea præsertim temporum difficultate, insigni cuiquam caritatis functioni operatus vel nosocomia solatum intraret, vel excita in classibus pœnitentia ipse confessiones audiret, vel in militum stationes Dei timorem ingereret, vel catechesibus non auditu solum, sed & opera adesset, vel in regione ab infidelibus undequaque obsessa cum Turcis, Hæreticis, aut Schismaticis congregetur. Adde frequentes Apostolicorum undique conqueritorum hominum ad relicationes Evangelicas, & prædas animalium missiones. Adde ipsius etiam tum maxime periculosas aditiones in remotissimas quasque, & barbarissimas vastissimæ olim, quæ tum bello reparabatur, Dicecesis partes, ut quocunque Veneta virtus signa, & imperium, ipse manu sua Crucem, & religionem invehheret. Horum vero laborum fructus labores alii, non tamen insuaves, & pigendi. Omnia novis vel Christianis, vel Catholicis plena Archiepiscopi scilicet cura sustentandis; Spalatum Catechumenis tam multis angustum. Adnavigandum igitur Venetas, & publica providentia coram imploranda. Complicanda etiam caritas, & munificentia Cæsarea; namque inter hæresum ejuratores egregium caput, & nonnisi Cæsarlis impensis alendum, Albertus

Sa-

Archiep. Spalat.

429

Saxoniæ Princeps . Crescente messe in dies , plures undique operarii conquirendi . Arcessendi Capuccini e Stiria , arcessendi ex Italia . Invitandi adjutores ex Dominicana familia : Patres etiam Ora- torii in laborum consortium admittendi . Omnia Præfulis cura , attentione , vigi- lantia , cursibus , navigationibus , literis , & intercessionibus , dispendiis , periculis , procuranda , efficienda , sustinenda . At- que hæc inter Cosmus Sacræ Romanæ Curiæ in iis , quæ sunt religionis , & Serenissimæ Reipublicæ in iis , quæ ad imperium pertinent , impense semper ad- dictus , neque minus utrique carus , cum continua pietatis , & obsequii daret utri- que argumenta , continuas vicissim amo- ris & benignitatis significationes ab utra- que recepit . Quo minus difficile id exe- qui tandem potuit , quod statim a suscep- to Archiepiscopatus onere cogitaverat , ardenterque jam tum animo exoptatum magis incaluerat in dies , sed diuturni belli motibus , natisque sibi exinde maxi- mis occupationibus præpeditus in ex- tremos annos dolentissime semper distu- lerat . Erat autem Clericorum Semina- rium Spalati ex præscripto S. Concilii Tridentini credendum ; opus a centum amplius annis e Sacris canonibus debi- tum , & in tota Dalmatia , adeoque in illa Primali fide , si ubilibet alibi , o- mni-

430

*Vitæ quatuor*

mnino necessarium. Pro quo vix credibile dictu est, quas curas, quos labores indefessus Archiepiscopus, quam sollicite, & anxie suscepere. Qui plusquam septuagenarius Venetias adnavigavit, inde Romam perrexit, non annuente modo Innocentio XII. sed etiam exoptante, ut singularem illius eloquentiam (ita enim Sanctissimi Pater veniam oratus per Eminentissimum Colloredum prescribi jufferat) qua olim, cum Cosmus Somachensi Congregationi adhuc praesesset, mirifice delectatus fuerat, rursus audiret. Ita Senatus amplissime pro veteri, qua praeditus erat singulorum gratia Patrum, unanimi confessione impetrata, & a summi Pontificis beneficentia duarum Abbatiarum S. Stephani Spalatensis, & S. Joannis Traguriensis, proventibus ad id operis in perpetuum applicatis, regia insuper Eminentissimi Petri Othoboni, cui Senatus abscedentis Romam Praefulsi pium negotium enixe commendaverat, largitione cumulatus, redditum festinavit ad suos. Tum vero peropportunas magnitudine, & situ ædes, quas vir generosus Canonicus Doimus Cupareus cesserat jam in perpetuum, & huic ingenti communi bono dedicarat, auxit non mediocriter, & ad necessarios usus accommodavit. Cumque interim P. D. Joannem Franciscum Alexandrinum sanguini-

*Archiep. Spalat.*

431

guine sibi conjunctum , neque ingenio , aut pietate degenerem a Somascheni Congregatione evocasset , ut toti familiæ Rectoris officio præcesset , & simul humaniores severioresquæ disciplinas , quod a multis annis in Congregatione cum laude consueverat , pro tempore doceret , Seminarium ab se ex integro conditum , quam auspicatissime velle potuit , aperuit anno MDCC. Primos enim , quos tota Provincia legerat alumnos duodecim , futuros , ut sperabat , in regione omni infidelium genere circumobsessa Catholicæ religionis athletas , medius inter duos suffraganeos Episcopos , & omnium civitatis ordinum comitante supplicatione , in hanc suam duxit sapientiæ , & sanctitatis palæstram 8. Kalend. Aprilis , die scilicet Annuntiationis ad sibi adoratissimam Deiparam Virginem , sine cuius auspiciis , & imploratione nihil unquam aggredi audebat . Exinde Cosmus , si quando prius , in Lyceo frequens fuit . Jam in ipsa Seminarii instituendi meditatione leges etiam ipsius moderandi statuerat pro sua hujusmodi rerum experientia maxime salubres . Beveleti exercitationes , ad quas Gallica Seminaria sancte gubernantur , in hoc etiam suo observari mandaverat , quas propterea editum postmodum jussérat Italica lingua donas . Illyricam Grammaticam , jugandum que

432

*Vite quatuor*

que illi Dictionarium parari curaverat per incomparabilem P. Ardellium della Bella Missionarium Apostolicum ab exorata Societate Jesu sibi concessum , arduæ , si quis uspiam provinciæ parem . Studiorum quorumcumque methodos exaraverat , & compendiarias quasdam indicaverat ad historiam , & Sacram præsertim Philologiam vias . Tum vero condito jam Seminario intervenire assiduus , opus præsentia accendere , audire , interrogare , laudare sollertes , foccordes , siquos deprehendisset , incitare , neque expectare destinatos ad id annui census sub autumnum dies , sed quoniam loci vicinitas dabat , prope quotidianus accedere ; prorsus ut si hæc una tota illius occupatio esset . Verum hæc etiam ante conditum Seminarium , etsi minus aperte , satis tam sollicite obierat , ex quo Dalmatiam ingressus , & agrum suapte natura fertilem , sed culturæ indigum nactus , per præceptores ex Italia arcessitos , & apud se privatim retentos , quos tum invenit Clericos ipse eruditivit . Neque enim aliter eum sibi Clerum creaverat , ex quo deinceps Dalmatiæ Præfules deligi cœpere , qui que tum Venetiis , tum Romæ Episcoporum Seminarium diceretur . Quo ipso tempore , cum Turcici belli tanta sollicitudine distringeretur , quantum religionis , & imperii Veneti zelo sibi

*Archiep. Spalat.* 433

sibi sumebat, aliis etiam indulgere studiis non destitit. Tunc enim sensim coaluere codices illi (de Mensa Archiepiscopali Spalatensi, de Archiepiscopal Palatii veteris, & moderni comparatione, de statu Ecclesiæ Salonitanæ, seu Spalatensis) quos in archivio manuscriptos ad successorum documentum reliquit, copiosa, exquisita, atque utili eruditione refertos. Tunc etiam tantum non ad umbilicos perductum est ingens illud opus ab omnibus literarum studiosis, præsertim Romæ cupide expectatum, & uni Cosmo, aut si quis est, alteri paris eruditionis & eloquentiæ viro capessendum, in quo propositum erat rerum gestarum evidentia ostendere Religionem necessariam esse Reipublicæ bono, nec posse Principatus feliciter stare, nisi Catholica fide fulciantur. His tamen studiis distentus pientissimus Præfus, cum illud etiam accederet, ut creberrime referendum esset vel ad eruditos ætatis suæ viros, qui ejus nunc judicia exposcerent, nunc amicitiæ honorem aucuparentur, vel ad Venetos Patres; ad S. R. E. Cardinales, ad hos, aut illos Principes, quibuscum sæpiissime gravissimarum rerum tractatione conjungebatur: nihil interim de pietatis officiis, nihil de vigilantissimi Pastoris munere unquam intermittebat. Qui sacrum quotidie faceret: bis in

*Opusc. Tom. XXVII.* T dies

434

*Vitæ quatuor*

dies cum tota familia ad communes pre-  
cationes conveniret: interiori mentis cor-  
disque orationi statas horas , quidquid  
interjiceretur, tribueret: & se quotannis  
per multos continuos dies abderet in me-  
ditationem earum rerum , quarum recor-  
datione hic sibi divinæ caritatis ardor  
perennaret. Qui ad sacras ædes etiam ni-  
mius, & quasi importunus astaret: pres-  
byterio plusquam statis vicibus interesset:  
synaxes omnes, quarum multas per ur-  
bis templa ipse ordinaverat, semper præ-  
sentia sua, neque raro etiam eloquentia  
inflammaret. Usque adeo actuosam cum  
contemplatrice vitam probe conjunxit ,  
& utramque summa semper sanctimonia  
honestavit . Septem , quibus a condito  
Seminario supervixit annis , maximum  
sibi visus est ingentis illius operis fru-  
ctum coepisse , quando duos audivit ex  
alumnis in magna auditorum frequentia  
ex edito majoris templi suggestu pie , &  
laudabiliter concionantes ; cumque ite-  
rum quatuor etiam miratus est pro tem-  
poris brevitate, qui subtiliter de totius  
Philosophiæ thesibus publice disputarent,  
gaudens in eo maxime toto illo quatri-  
duo , quod inde sumptam viderit occa-  
sionem grati animi significandi erga Emi-  
nentissimum Petrum Othobonum de hoc  
tanto rerum successu perquam optime me-  
ritum. Sed & aliis in rebus , quas ad

Dei

Archiep. Spilat. 435

Dei gloriam, & Ecclesiæ suæ utilitatem summopere concupiverat, votorum sibi compos jam videbatur. Siquidem ad ardentissime exoptatam universæ Ecclesiæ propagationem noverat Romæ aurea ille sua custodiri monita, quæ Seminarii causa illuc profectus de mandato Innocentii XII. ad Congregationem, ut vocant, de Propaganda, antequam inde decederet, scripto reliquerat, & non sine magno fructu opere impleri sciebat. Venetum Imperium etiam in Dalmatia amplificatum videbat accessione Cachi Novi, quod erat quidem invicta Hieronymi Cornelii Veneti Imperatoris virtute, sed etiam sua sollicitudine, & opera partum, cum & ingentes in summa caritate rei frumentariæ suppetias, quibus conterminorum Morlacchorum manus, opesque allicerentur, & auxiliares tum Pontificias, tum Melitenses tremes, quæ ad illius oppidi oppugnationem eo anno missæ sunt, ab Innocentio XI. suis & literis & precibus impetravit. Illa etiam in Ecclesia sua valde lætanda; quod quicquid in constructione Palatii mors Albani præpropera vel ad amplitudinem, vel ad ornatum desiderandum reliquerat, ipse suprema imposita manu abunde suppleverat. Quod quæ loca superiori bello Turcarum insolentia Diœcesi subtracta fuerant, ipse

T 2 nunc

436

*Vitæ quatuor*

nunc interposita Ducum gratia , & exorata Senatus auctoritate effecerat , ut quae longe lateque patent , restituerentur . Quod Cathedralem Basilicam novis operibus ad commodiorem Divinorum officiorum celebrationem exstructis auctam , pretiosis etiam suppelleilibus exornaverat . Quodque ut etiam insuetiora flagitia avertarentur , dato , quod prius emerat ipse ; spatio , auctor fuerat , ut etiam Nothostrophium in urbe constitueretur . Quid igitur reliquum erat , nisi ut mortalis vita laboribus functus , immortalis præmia tandem iniret ? Ea , qua semper fuerat , in vietu continentia id illi prosperitatis attulerat , ut valetudine etiam in senecta gauderet satis bona , nisi quod familiari studentibus fluxione afficeretur molesta magis , ut tum videbatur , quam exitiosa . Hac tamen postremis duobus annis ingravescente in dies , & per plurima circa collum , mox in pectore , & sub axillis ulcera cum vehementi extenuati corporis concussione erumpente , eo sensim adductus est , ut primum nisi magna cum incommoditate operari non posset , deinde ut cum majori insueti sibi otii tardio deberet etiam decumbere ; in quo quidem tanta illi animi patientia opus fuit , ut ob id unum solatii & muneric loco , quasi de manu miserantis Domini , mortem acceperit , Nonis Maii MDCCVII.

Ela-

*Archiep. Spalat.* 437

Elatus est incredibili totius atriae civitatis luetu, & intra Cathedralis Ecclesiæ presbyterium non ante conditus, quam post tertium diem, nulla re satis esse visa gratæ multitudini, & præ dolore prope insanienti, qua tam præclare da se merito Antistiti justa persolveret. Quod sepulchrali incisum marmori legitur.

Stephani Cosmi  
Archiepiscopi Spalatenfis  
Depositum  
Obiit Ætat. -- Chr. ~

Simplex est, ac jejunum Epitaphium ab eo sibi præscriptum, at luculentum summae, si non aliud, ipsius moderationis Elogium. Sed e dissecto cadavere, ut ipse testamento jussicerat, eductum cor Venetias missum est ad Somaschenfes Patres; atque hinc alia ejusdem prope stili non ab ipso quidem, sed ad ipsius genium formata inscriptio extans in monumento posito in inferiori Sacrario D. Mariæ Salutis.

Stephanus Cosmi  
Archiepiscopus Spalatenfis  
ad hanc Deiparæ Virginis Imaginem  
ubi olim solemnia Religionis vota emisit  
Cor suum condi voluit  
ad perenne erga Matrem beneficentis.  
Obsequii monumentum.

Hac enim optimi Præfulis præter veterem erga suam Congregationem duraturum cum cordis pulvere amorem, testari placuit, in perpetuum eximiam pietatem, qua tenerime, si quis alias post inchoatam hyperduliam, amavit, & coluit Sanctissimam Dei Matrem, & beneficentia, ut appellare confueverat, etiam suam. Testamentum scripsit, in quo prudentiam cum doctrina, ut in cæteris rebus suis, mire conjunxit, neminem unum prætermittens, quocum qualicumque caritatis vinculo devinctus esset. Ut propterea etiam Probationis domum S. Andreæ Societatis Jesu aurea sua Cruce donatam voluerit, memor cœlestis cujusdam dulcedinis, qua cum primum Romam venit ad sacra Limina, datum sibi fuerat ad spiritualia S. Ignatii exercitia inter Angelicam illam, ut semper deinceps appellavit, juventutem sese abdere. Cœterum post plurima legata, quibus amicitiæ, pietati, religio-  
ni,

*Archiep. Spalat.* 439

ni, misericordiæ , cœterisque virtutibus satisfecit, hæredem nuncupavit Seminarium suum . Cui Pater Alexandrinus , & Stephanus Cupilli Traguriensis Episcopus , quos Præful una cum carissimo sibi Abb. Joan. Jacobo de Nigris sororis suæ filio inter Patavinos Canonicos ingenio , pietate , & sapientia præstantissimo , testamenti administratos constituerat, subductis subducendis , tantum reliqui fecere , quantum satis erit duobus Poglizzanis alumni in perpetuum alendis . Rem plane mirabilem , & quam nemo , si ad calculos ducat , satis assecuratur cogitando , qui fieri potuerit , ut in censu brevi , post expensa in pias causas [ quod ex ipso testamento intellectum est ] duo supra viginti ducatorum milia , adhuc non pauca super fuerint , quæ Cosmus largiretur etiam de cœlo ? Quid enim verear Stephanum Cosmum tollere in cœlum , & in sinu Dei venerari ? Quem Spalatenes , & qui Spalatum bellorum occasione ex omnibus pene totius Europæ nationibus per illa tempora frequentarunt , quinque & viginti annos inspectum Sanctum Præfulem censuere usque adeo , ut in illius parentalibus quidquid ejus corpus attigisset , certatim arripuerint , inter sacra lipsana reponendum . Cujus a confessionibus P. Innocentius Venetus Capuccinus testatus est ea ,

T 4            quæ

440 *Vitæ quatuor &c.*

quæ propria illius est, & par doctrinæ sinceritate se per septem amplius annos nihil unquam in ejus exhomolegesibus comprehendisse, quod voluntariam quidem saperet culpam venialem. Cui plurimæ amplissimorum S. R. E. Cardinalium epistolæ, non suo ipsorum motu scriptæ, sed de mandato Innocentii Sanctiss. recordationis PP. XI. aliorumque deinceps summorum Pontificum usque ad Clementem XI. ingens deferunt in Ecclesia meritum ab illius sapientia, & sanctitate profectum. Siquidem quod Stephanus Cosmus non Romæ in ipsa Religionis aula, apud summos Pontifices, iisque in gradibus honoruerit, quibus omnium consensu dignus erat, sola illius virtus in causa fuit, qua visum est orbis Catholici interesse, ut difficillimis illis temporibus in Dalmatia, & Illyrico versaretur.

441

# VITA STEPHANI CUPILLI

Episcopi primo Arbensis designati  
deinde Traguriensis, postremo  
Archiepiscopi Spalatensis

*Ex Congregatione Cleric. Regul. Somasch.*

**I**nnocentius XII hujus nominis Dei  
Vicarius in terris id etiam Divi-  
ni saepe visus est habuisse, ut  
quorum vultus attente intuere-  
tur, eorum etiam ingenia introspice-  
ret, & per externam corporis speciem  
ad interiores animi dotes penetraret.  
Exemplo sit instar omnium hic unus  
Archiepiscopus, quem Sanctiss. Pater,  
cum accedentem ad sui adorationem  
primo aspexit; conversus illico ad  
suos fertur pronunciasse, videri sibi in  
eo videre spiritum Francisci Salesii re-  
viviscentem. Rem plane veram Ponti-  
ficiæ vocis oraculum aut invenit, aut  
fecit; siquidem Stephanus Cupilli San-  
ctissimum illum Sabaudiæ Præfulem ita  
expressit, ut ad illius virtutes, præfer-  
tim eximum Catholicæ religionis ze-  
lum, & flagrantissimam tum in Deum,

T 5 tum

442

*Vitæ quatuor*

tum in proximum caritatem nemo æta-  
te nostra proprius accesserit. Natus est  
Venetiis XIV. Kal. Decemb. MDCLIX,  
piis, & honestis parentibus Ateste oriun-  
dis, patre etiam apprime industrio, &  
delineandi arte inter rares eximio, qui  
propterea vulgo non alio, quam Deli-  
neatoris cognomine appellaretur. Ado-  
lescentiam dum iniret, licet liberalibus  
disciplinis sub incertis quidem præce-  
ptoribus, non tamen frigide addictus  
esset, visus est sensim ad vitia declina-  
re. Sed gravi superveniente morbo de-  
cumbens, cum sollicitius de animæ,  
quam de corporis periculo cogitaret,  
divina interius aspirante gratia statuit,  
si convalesceret, in religiosæ vitæ secu-  
ritatem se subducere. Nec mora; cum  
de tam multis, quæ succurrebant, reli-  
gionibus ambigeret, quam potissimum  
fectaretur, descripto singularum nomine  
in totidem schedulis, arcessitum patrem  
**amantissimum** rogat, ut de conjectis in  
urnam manu sua unam educat, in qua  
nomen D. Mariæ Salutis legentem mo-  
net, se sibi degentem inibi religionem  
animo destinasse. Omnino Deus Opt.  
Max. vias nobis demonstrat suas, &  
mandatorum suorum semitas non edo-  
cet modo, sed etiam in eas deducit  
ipsas volentes. Receptus a Somaſchen-  
ibus Patribus, quos adivit precabundus

sta-

*Arcbief. Spalat.* 443

statim atque convaluit , hac insuper gratia cumulatus est ut regulari habitu insigniretur manu ipsius P. Stephani Cesmi , qui tum Congregationem Præpositi Generalis munere regebat; cuius propterea & nomen assumpsit , cum prius e baptismo Gaspar nuncuparetur , & sibi jam tum injunxit inire vestigia , si posset , totoque nisu , dum vita supeteret , sequi ; quod ipsum erat a Sanctissimi Salesii Præfulis vestigiis non longe recedere . Jam vero non multo post palam cepisse conspectus est , cum solito in ea Congregatione studiorum cursu celerrime absoluto , Ferrariam missus , dum annum ageret primum supra vicecum , ibique inter illius Academiæ professores statim adscitus , humaniores literas per duodecim annos tanta cum laude publice docuit , quanta olim Cosmus pari prope ætate Venetiis . Erat per id tempus illius urbis Episcopus Eminentiss. Carolus Cerrus , quo nemo rectius pro rerum omnium , qua eminebat intelligentia , de hominibus ferre judicium posset : adjunxeratque sibi ejusdem pene virtutis , ac solertiæ virum Abbatem Franciscum Bagnium Generalis Vicarii titulo decoratum . Per hunc Stephanus , cum se ipsi audiendum , cognoscendumque semel , atque iterum obtulisset , & protinus tam probatus

444

*Vitæ quatuor*

effet , & carus , quam probandus dili-  
gendumque visus fuisset , facile potuit se  
etiam in Cardinalis gratiam insinuare ,  
Præfulis nimirum humanissimi , & in  
bonorum amorem summe propensi . Quæ  
primum obsequii , mox amicitiae con-  
junctio , cum quotidiana consuetudine  
stringeretur magis in dies , tum vero  
arctissima facta est , cum Stephanus et-  
iam Franciscum , & Hortensium duos  
egregios adolescentes Cardinalis fratris  
filios humilioribus jam literis eruditos ,  
altioribus disciplinis erudiendos suscepit .  
Exinde nihil Stephanus Ferrariæ petere ,  
quod tota gaudente civitate , quam pe-  
culiari juvandi quemque studio deme-  
ruerat , non impetraret . Quid enim  
peteret homo , cui sola Dei gloria cor-  
di effet , nisi quod ipsi ab eo expete-  
rent Cardinalis , & Vicarius , qui se  
totos illius Ecclesiae rationibus addixi-  
sent ? Nempe liceret sibi orphanos tota  
urbe cogere , pie nutrire , & diligenter  
excolere : verbum Dei , ubicunque fru-  
etus sperari posset , aut vix posset ,  
enunciare : quos contingeret avocare a  
vitiis , eos audiendis illorum confessio-  
nibus in virtute solidare : opportunas ,  
ubi videretur , synaxes instituere , &  
præsentia sua , ac voce inflammare :  
omnia denique Apostolica munera obi-  
re , & flagrantissimæ suæ in Deum &

pro-

*Archiep. Spalat.*

445

proximum caritati satisfacere . Unum sibi poscere aliquando visus est , cum per amantissimum Cardinalem ab Innocentio beatiss. recordationis Pontifice XI. obtinuit , ut Collegium , & Parochialis Ecclesia S. Nicolai Congregationi suæ tribueretur . At hoc ipsum sicut Congregationi honorificum , ita onerosum Stephano fuit , cuius ad cœteras occupationes multas , & magnas ea quoque inde accedebat , ut nova domus , neque parva in summa paupertate rebus omnibus instruenda esset : Collegium in quo frequentia , & studia frigescabant , pristino fervori restituendum : Parœcia Ecclesiæ adnexa singulari , qua solebat ipse vigilantia , cura , & caritate administra . Ipse tamen mira , qua erat in omnibus rebus intelligendi , & agendi celeritate , non modo Ferrariæ singula expedire diligentissime , & perfectissime implere : sed etiam alibi , exstimulante scilicet assidue irrequieto divinæ gloriæ ardore , & ad præclaros conatus impellente , satagendi materiam quærere . Nam per idem tempus & Atestem adiit , quasi in patriam suam , & Genuam in theatrum scilicet Eloquentiæ amplissimum , ubi sacras haberet in quadragessima conciones , quas habuit utrobiique ad miraculum gratas & fructuosas ; Deo videlicet sic disponente , ut Ferrariæ

præ-

446

*Vita quatuor*

præfertim post Cardinalis Cerri obitum ,  
 & illud ruptum vinculum , paulatim  
 avelleretur , ac tanto ocyus cogitaret  
 in Dalmatiā , quo Divinæ providentia  
 ductu rapiebatur . Itaque revocatus Fer-  
 raria , missusque Bellunum , ubi Eccle-  
 siam regebat alter pene Cerrus Joannes  
 Franciscus Bembus ex eadem Soma-  
 schensium Congregatione ad Episcopa-  
 tum assumptus , post illustratam paribus  
 trium circiter annorum laboribus eam  
 quoque civitatem , præfertim post Semi-  
 narium optimis , tum ad eruditionem ,  
 tum ad pietatem legibus constitutum ,  
 Spalatum jussus est migrare An. MDC-  
 XC VIII . Quis posset modo decidere ,  
 utrius Stephani major lætitia tum fue-  
 rit , hujusne , qui Spalatum advenit ,  
 & quem sibi ad imitandum exemplar  
 olim proposuerat , ejus gratissimo aspe-  
 ctu rursus frui datum videbat ? an il-  
 lius , qui Spalati advenientem accepit ,  
 in coque mentem , voluntatemque suam ,  
 suas ipsius cogitationes , sua consilia ,  
 sua vota , totum denique animum suum  
 intuebatur ? certe Cosmus se cohibere  
 non potuit , quin protinus Romam ad  
 Eminentiss . Colloredum literas daret ,  
 quibus Cupilli adventum sibi & Eccle-  
 siæ suæ gratularetur . Venisse in com-  
 missam sibi vineam operarium divinitus  
 missum , cui spiritus esset , ac zelus pla-

nc

*Archiep. Spalat.* 447

ne Apostolicus. Nihil posse sperari boni , qnod ipse a Cupilli voluntate , & opera non sibi promitteret . Tali esse illum ingenio , & sapientia , ut quæ ad animarum salutem faciunt , omnia pos- sit : ea esse caritate , ac vigilantia , ut omnia velit ; futurus dubio procul alter Eliseus , si natus esset Eliam . Quam epistolam Cardinalis , ut omnes , quas ab Archiepiscopo accipiebat , cum In- nocentio XII. summo cum gaudio re- citaret : Sanctissimus Pater , qui simili- ter nulla re magis , quam Ecclesiarum bono lætabatur , sic ut erat accepto nuncio gestiens , mandat , ut viri no- men inter designandos quamprimum Episcopos describatur . Mensis unus , aut alter ; ecce tibi vacat Arbensis Ec- clesia Spalato longe diffita , & a Dal- matia interjacente freto divisa . Probe tamen memore summo Pontifice , & quod non pridem constituerat , fieri ju- bente , Archiepiscopo ex alia parte fe- rente ægerrime , virum sibi carissimum tam cito , & procul ab se divelli , Ste- phanus nihil tale recusandum ratus , Rouiam properabat , ut jussa faceret , sibique destinatæ cœlitus Sponsæ addice- ret se qualicumque facili an difficulti , bene an male dotatae . Sed ecce tibi alia res inopinata prorsus & nova , va- cante per eos dies etiam Traguriensi

Epi-

448

*Vitæ quatuor*

Episcopatu, & deprecante Archiepisco-  
po, ut quoniam statutum erat, ut Ste-  
phanus Spalato eriperetur, & sibi, ne  
tota saltem Provincia decederet. Esse  
ubi & alium gregem susciperet, & suum  
non desereret. Tragurium divina qua-  
dam providentia ad id præter spem va-  
cavisse. Interim tamen Stephanus Ro-  
mæ Sanctissimi pedes osculaturus acce-  
dit; tantumque Salesianæ, ut ipsi San-  
ctissimo visum est, in vultu formæ, in  
animo virtutis præfert, tantum Archiepiscopi testimonia præsentia sua con-  
firmat, ut summus Pontifex Opt.  
Max. Archiepiscopo morem gerendum  
duxerit, & quem Arbensem Romam  
acciverat, Traguriensem Episcopum Ro-  
ma dimiserit. Tragurii vero, cum es-  
set jam in castris Ecclesiæ Veteranus  
miles, mirum quam cito posuerit opti-  
mi tirocinia ducis. Est ea diœcesis vici-  
nitatum, confiniorumque ratione omni-  
sempre infidelium genere undique obse-  
pta. Tunc autem, intermisso dudum  
Turcico bello, cum omnia ferverent  
adhuc militari licentia, itaque, & fe-  
rocia circumcirca debaccharentur, in-  
ternis etiam pravitatibus ita non erat  
immunis, ut nonnihil in ipsis etiam  
sacris penetralibus gliscens veluti con-  
tagio infecisset; quo magis Cosmicis,  
hoc est Salesianis virtutibus in novo

præ-

*Archiep. Spalat.*

449

præsertim Præfule opus esset. Continuo Stephanus ab intestinis malis exorsus, cum quædam deprehendisset, quæ non nisi sectione, vel ustione curari possent, non leviter a principio apud nonnullos offendit. Veruntamen similitates, odia, atque inde timenda pericula insuperabili constantia temnens non destitit ea velle, & facere, quæ ad emendationem, & sanctitatem primum Cleri, deinde totius populi conducere posse crederet. Igitur si quem Cleri sanctimoniam conciliare non potuit, eum a cleri contubernio seclusit. Pia legata, quorum exequutionem in desuetudinem abiisse magno cum civitatis exitio, ut fit in tali re, comperit, exsolvi diligenter in posterum salutari consilio suasit. Scortationes & impudicas præsertim confusitudines, quanta potuit vocis & virium contentionе dissolvit. Periclitantium paupertate virginum, neque paucarum pudicitia prospexit: inopesque simul ipsarum parentes mendicandi pudore exemptos, fortes, audentesque adversus insidiantes effecit. Hæc multis a principio adversantibus constantissime curavit, & præstitit arguens, obsecrans, increpans in omni patientia & doctrina. Quæ ut posset per seipsum, cum quo vis etiam e populo, nullo non tempore expedite obire, imperavit sibi præ priam

450

*Vitæ quatuor*

priam regionis linguam quam celerrime addiscere ; brevique qualis erat recens ab Italia , prope quadragenarius asse-  
quutus est , quasi divinitus infusam . Exinde nullæ catecheses , quas ipse vo-  
ce sua non accenderet : nulli festi dies ,  
quibus ipse sanctum Dei timorem , &  
Redemptoris leges , & consilia ex edito  
non ingereret : neminem e vita migra-  
re patiebatur , quem ipse morientem ,  
quibus mire pollebat adhortationibus non  
adduceret ut supplicem se sisteret Deo ,  
imploraturus misericordiam , antequam  
iustitiam subiret . Interim vero & aliam  
pastoralis , paternique officii partem non  
modo non neglexit , sed etiam sedulo  
procuravit . Cum enim vastatis prox-  
imo bello quaqua versus agris , in com-  
muni calamitate etiam redditus Episco-  
pales misere decrevissent ; ipse , ut  
splendor , & dignitas Ecclesiæ staret ,  
& fontes beneficentiæ in pauperes non  
deficerent , annuos prædiorum fructus  
paulatim restituit in integrum , Resti-  
tuit autem ? Imo vero adeundo in fun-  
dos , invitando operarios , sollicitando ,  
monendo , faciendis sumptibus , nec  
parcendo laboribus etiam non mediocri-  
ter auxit . Cujus tamen curæ alia quæ-  
dam occultior causa erat , territorii sci-  
licet frequens lustratio . Neque enim  
dum circuiret , id uatum efficiebat , ut  
plan-

*Archiep. Spalat.* 451

plantationes, aut seminationes juberet : sed passim docens , & verbum Dei , qua erat alacritate , atque oris efficacia , seminans , quo tempore villicorum uorum operas accendere videbatur , illorum animas ipse Dei villicus excolebat . At neque Spalatensem Archiepiscopum deseruit Metropolitanum suum , & quasi alterum patrem ; sed optimo Antistiti , qui sibi ab illius ope plenum pollicitus erat , plus etiam spe praestitit . Nam cum Archiepiscopo nihil pensias esset , quam ut tota va-  
tissima sua Dicecesis circumstantium un-  
dique infidelium depravationibus nimis  
exposita statis temporibus lustraretur ,  
ipse vero eo jam senectutis pervenif-  
et , ut tantos difficillimorum cur-  
uum labores ferre neutiquam posset : Stephanus id totum sibi muneris ala-  
criter sumpfit , & egregie , ac pene  
ultra mandantis votum implevit . Quid  
enim fecit , aut quid non fecit in illis  
Apostolicis circuitionibus , ut pravos &  
pertinaces avocaret a vitiis , schismati-  
cos cum Catholica Ecclesia conjungeret ,  
superstitiones , & scandala extirpare ?  
Quid vero non etiam profecit , visus  
non semel institutas ab se populorum  
supplicationes subsequi nudis pedibus , &  
importabili pene cruce humeros onera-  
tus , plorantibus interim pra cordis com-

pun-

452 *Vita quatuor*

punctione bonis , ipsisque Turcis , qui invidiose aspicerent , a lacrymis haud temperantibus . Verum Archiepiscopo suo , cui nihil esse profitebatur , quod se debere non crederet , tum maxime praesto fuit , cum prope esse intellexit , ut tantus vir ad supremum certamen se compararet . Tunc enimvero Stephanus ad id potissimum factus , neque ut vulgares tantum , sed & ingentes animas juvare posset , quicquid habuit ingenii , pietatis , caritatisque contulit in id unum , ut Stephanus Cosmus in sua fide , fortitudine , & constantia perseveraret , seque cum primis digno virtutum omnium viatico se muniret . Id ipsum præclare , piissimeque dies , non estque connixus est alter consuffraganeus Episcopus MacarsKensis , qui denique in summo tantæ jacturæ dolore sibi , & collegæ gratulandum esse intellexit , quod Sanctissimi Præfulis mors visa esset in conspectu Domini pretiosissima . Sed Stephanus hunc lætabilem beatitudinem , ut credidit , Patris obitum etiam publica oratione vulgavit ; qua tamen , dum audientibus eundem totius civitatis ordinibus summa illius merita graviter , suaviterque pro sua dicendi magnificentia commemorat , evincere non potuit , ut ab incredibili lacrymarum vi abstineretur . Tam justam luctus copiam vel mo-

de-

*Archiep. Spalat.* 453

derari, vel tollere unius Dei, aut Dei Vicarii fuit. Neque enim prius omnino sublata est, quam ut jubente Clemente XI. gravissimam Stephani Cosmi jacturam Stephanus Cupilli Spalatensi Ecclesiæ rependit. Neque diutius consolatio ista moerenti populo dilata est, quam ut Stephano Romæ, quo venerat honorem deprecaturus, Pallio confestim collato, designatoque in Traguriensi sede successore Petro Calorio ejusdem suæ Congregationis Patre scientia, & prudentia præstantissimo, imperatum est Spalatum properare. Quo ut venit, statim visus est omnes optimi Decessoris non modo animi, sed quasi etiam corporis dotes retulisse. Nam Tragurii quidem, cum pro temporis conditione zelo, & severitate uti oportuisset, ejusmodi fere vultus, & sermonis asperitate fuerat, ut nonnihil a summa Cosmi mansuetudine, & singulari comitate differre visus esset. Nunc autem, pacata jamdudum tota provincia, cumque cæteris pacis artibus etiam pietate, & gentis docilitate reflorescente, deposita & ipse quacunque inutili acrimonia, ita cum reliquo Cosmi ingenio etiam lenitatem induerat, ut etiam ore, incessu, verbis, necnon vocis tono ipsissimus videretur. Quo factum est, ut qui Tragurienses Spalatum propinquam scilicet urbem ventitarent, Co-

sum

454 *Vitæ quatuor*

sum se dicerent videre redivivum, Cupilli vero suum non reperire. At contra nihil mitior, imo durior in dies adversus seipsum vitæ se dedit, addixitque tam asperæ, ac laboriosæ, ut tum maxime, si quando alias, alter Salesius videretur. Ecclesiasticæ disciplinæ custos acerrimus, & pene quotidianus hortator nihil unquam verbo præcipiebat, quod suo non firmaret exemplo. In Diœcesanis, quas nullo non anno cogebat, synodis, quascunque vivendi regulas vel a Provinciali Decessoris approbatissima synodo revocabat, vel ipse pro re nata condendas esse censebat, ipse omnium primus exequebatur. Sacris, piisque in functionibus assiduissimus, nullo non die se in Presbyterio, nunquam se præfertim in Catechumenis desiderari passus est, quamquam vias Domini solemini quoque festo e suggetto doceret, in quadragesima vero singulis vesperis. Ægros, si quos noverat morti proximos esse, non modo in urbe, sed in remotis etiam suburbii, nulla cœli inclemens, nulla tempestatum injuria absterrebatur, quo minus ad multa millaria pone Sacrosanctum Viaticum aperto capite adiret, ut supremæ indulgentiæ prius capaces efficeret, inde participes. Aditus ad se faciles non permisit modo, sed etiam præce-

Archiep. Spalat.

455

cepit, maxime pauperibus, & afflictis, quos religionem sibi faciebat, si non qualibet hora admissos erectos, recreatosque dimitteret. Seminarium a Decessore studiosissime constitutum amavit semper, & custodivit quasi opus suum, ad quod potissimum ex Italia primum venerat, designatus illius rector, & institutor. Itaque & fabricis auxit, & quod plus est, optimis præceptoribus, idoneisque ministris instructum semper voluit, & ipse, quidquid præsertim ad scientias morales, & sacram philologiam pararetur, creberrimum subibat onus docendi. Hæc palam sub oculis omnium cunctorumque totius non urbis modo, sed etiam provinciæ testimoniis, & laudibus celebrata. Quæ vero privatis in ædibus clam consuevit, his respondentia. Velut illud, quod tenuissimo & penne sordido vietu assidue uteretur, ut videlicet sibi suppeteret semper, quod erogaret in pauperes; quo nubiles pueras dotaret: quo peregrinos venientes acciperet, & abeuntes subsidiis proferqueretur: quoque præsertim sustentare posset plurimos, quos ad sanctam fidem Dei adjuvante gratia mirifice perducebat. Id ei non raro quidem, sed singulis præcipue trienniis succedebat, cum totam, qua longe, lateque patet, Diccesim circuibat, singula vix adeunda

lo-

456

*Vitæ quatuor*

loca per immensa incommoda, horren-  
daque pericula lustrans, universos, &  
ubi opus esset, etiam singulos docens,  
& monens, & ab erroribus, ac vitiis  
infinita sollicitudine abducens. Ab his  
expeditionibus complures vel Schismati-  
cos, vel hæreticos, nonnullos quando-  
que Mahumetanos, exemplis magis,  
quam verbis edomitos secum captivos,  
aut potius a captivitate Dæmonis vin-  
dicatos ducebat quasi in triumphum.  
Sed hæreticorum ingentem numerum ad  
catholicam fidem tum denique adduxit,  
cum pace rursus turbata, perfidi Turcæ  
infesta undique signa intulerunt. Vene-  
ta enim Respublica, ut barbarorum im-  
petum sustinere posset, conduxitias e-  
tiam ex Germania copias accivit, ex  
quibus cum magna parte ex illis essent  
regionis novatoribus, pauci quos errores  
illuc attulerant, in patriam retulere.  
Nam cum Stephanus Dei, & in Deum  
religiosissimi Principis causæ studiosissi-  
mus sæpe militum stationes ingredie-  
tur, ut in eorum animis fidem, pietat-  
em, fortitudinem, studiumque religio-  
nis accenderet, eaque ibi diceret, quæ  
non tam nostros, quam illos externos  
commoverent, sæpe factum est, ut com-  
plures de repente hæresim objurarent.  
Memorabilis est inter cæteros ille dies,  
quo Præfulem a concione abeuntem cir-

cum-

*Archiep. Spalat.*

457

cumvenit integra centuria suorum profitens pœnitentiam errorum , diuturnam cœcitatem complorans , perque superos omnes obtestans , ut se tandem inter catholicos , verosque Dei cultores dignaretur accipere , clamante interim hæc ipsa elatiore , quam cæteri voce illorum ministro non indocto viro Philippo Beza Argentoraten si . Ille vero postmodum lætior dies , quo amplificato interea candidatorum numero accessione aliorum , qui tantæ exemplo vis allecti fuerant , Beza , Beza inquam ( accedente hoc etiam fatali nomine ad hujus retractationis celebritatem ] catholicæ fidei professionem primus omnium , omniumque nomine recitavit . Hæc Archiepiscopus non tam singularis eloquentiæ ministerio , quam Deo gratissimæ caritatis merito assequebatur . Quos enim Divina favente gratia Deo & Ecclesiæ lucrabatur , eorum deinceps curam suscipiebat tanquam familiæ suæ , nunquam deficiente illius semper satis divite penu ex retributione Divinæ providentiæ , cui se , suaque omnia concedere in omni vitæ statu semper confueverat . Atque utinam cuius boni spes in extrema Europa circa id tempus affulsit , non item subito , ut

*Opusc. Tom. XXVIII. V afful-*

458 *Vitæ quatuor*

affulserat, evanisset. Magnus Mosco-  
viæ Dux Romam missurus dicebatur pe-  
titum ab summo Pontifice Legatos,  
quibuscum de suorum, Græcorumque  
omnium ad Ecclesiam Romanam re-  
ductione ageretur. Quid tum? Ste-  
phanus omnium destinatione obeun-  
dæ legationis princeps nominabatur.  
Eum Roma, eum Italia, Dalmatia,  
Illyricum, & ipsa, quæ virum fa-  
ma noverat, Græcia exposcebat.  
Quæ si successissent, neque Græci le-  
vitatem, ut solent, alio vertissent:  
quid expectandum erat ab hoc. Præ-  
fule omnibus, quæ in hujusmodi pro-  
vinciis requiruntur, virtutibus instru-  
ctissimo? Næ ille Salesium Antisti-  
tem, cuius a cæteris laudibus non  
longissime distat, saltem æquasset illo-  
rum numero, quos ad catholicam fi-  
dem traduxisset: hodieque qualis tunc  
omnium judicio designatus fuit, Mo-  
scoviæ Apostolus audiret. Sed & Ste-  
phano tot, ac tantis laboribus exer-  
cito, abstinentiis etiam, jejuniis,  
orationibus, & carnis macerationibus  
jam confecto vix tantum vitæ super-  
erat, quantum tam longis itineri-  
bus, nedum brevissimi temporis faci-  
nori suscipiendo, & conficiendo satis  
esset. Siquidem non multo post in-  
gruen-

Archiep. Spalat.

459

gruente vehementi morbo instantis mortis admonitus , cum se ad illam comparasset iis omnibus rebus , quibus ipse tam multos in Domino mori docuerat , latus , quod renovata dudum pace cum Turcis , totam vidisset Dioecesim ab intermissi belli periculis sua etiam opera conservatam , migravit ad Dominum III. Idus Decemb. MDCCXIX. Miracula , quæ quidem observata fuerint , in tanti Præful's defectione nulla intervenere , sed ingentes enituere virtutes miraculis potiores. Aditus ad se toto , quo languit , tempore non minus faciles esse voleuit , quam dum valeret . Quare & consilia dedit indigentibus , & consolationes afflictis adhibuit , & lites inter dissidentes composuit , & si quæ ipse aut omisisse sibi visus est , aut imperfæta relinquere , fieri confessim jussit , aut absolvi ; ut subeat de illo repetere , quod olim de Paschali PP. II. scriptum legitur : Vir sanctus & moriebatur & operabatur . Præcipue tamen res erat illi cum pauperibus , quorum manibus quidquid bonorum sibi reliquum esse intellexit , in cœlestes thesauros deportandum sibi curavit . Et jam omnia erogata erant nec quicquam restare videbatur , nisi

460

*Vitæ quatuor*

inexhaustus animus plura dandi . Sed & hic ipse , abscedente jam sensu ab omnibus membris , prope erat , ut e corporis vinculis exiliret . Cum ecce inexpectatus tum pulsator ad eas cubiculi fores , per quas hactenus solis pauperibus ingressus dari secretus quaque hora solebat . Qui decumbentem in lectulo Præfulem circumstabant , hominem amandant importune venientem ; esse Præfulem adeo in extremis , ut sola verba non modo non dare , sed ne audire quidem possit . Audierat tamen pulsationem Præful , & quod erat libera adhuc mente conjectans , erecto , ut potuit , jam semimortuo capite , revocari hominem jubet . Quem ut videt , notæ illacrymans ejus inopiæ , deficiente lingua , vocibusque interruptis , ac morientibus veniam rogat , si nihil sibi reliquum fecerat , quod illi daret . Inde ne omnino vacuum dimitteret , quidquid supererat virium in eo contulit , ut indusum sibi detraheret novum , quod eum coegerit accipere ; sibi vero aliud afferri jussit , quod unicum restabat obsoletum , detritumque , quo se tumulari posse dixit , & velle . Quod miraculum compares huic factu ? Quod quidem Stephani Cupilli ultimum fuit , atque

*Archiep. Spalat.*

461

atque esse decuit, nequid amplius ab eo, qui ad tantum caritatis pervenisset, Deus expetere videretur; utque plane constaret, nihil agi posse violentius, ut, quod vim patitur regnum cœlorum, statim, nullaque interjecta mora rapiatur.



V 3

V 1

462

V I T A  
JOANNIS BAPTISTÆ  
L A G H I  
P A T R I C I I V E N E T I  
A R C H I E P I S C O P I · S P A L A T E N S I S

*Ex Congregatione Cleric. Reg.  
Somasch.*

**A**nno a Cupilli obitu necdum dimidio transacto, suffectus est Jo: Baptista Laghi ex eadem assumptus Congregatione Patrum Somaschenium. Natus erat VII. Kal. Novemb. MDCLXV. ex Jo: Baptista Patricio Veneto, & Catharina ex honestissima Roncaliorum domo prognata. Undennis postquam puerilem ætatem domi sub paternis exemplis sancte exegisset, Somaschenium Patrum disciplinam subiit Venetiis in Seminario Ducale: & quinto post anno, cum literis humanioribus non leviter esset imbutus, corumdem etiam institutum amplexus est, sumpto tum Patris per eos annos vita functi nomine, cum prius in auro Patriciorum libro Jo: Antonii nomine

*Vite quatuor Archiep. Spalat.* 463

mine legeretur . In Congregatione vero nihil habens post pietatem antiquius eruditione , Rethorica , Philosophia , & Theologia sexennio auditis , ea dedit in singulis ingenii abundantiae argumenta , ut statim habitus fuerit idoneus profi- tendis . Prima illi palæstra Vicentiae ob- tigit in Seminario Episcopali , ubi per quinquennium illius Ecclesiae Clericos ad eam formavit eloquentiam , qua ipse in- terea e Sacris eloquentissimæ illius civi- tatis exedris Sanctorum laudes non sine illius admiratione identidem exornabat . Inde Venetias revocato injunctum est munus Clericos suæ Congregationis alu- mnos instituendi Philosophia ; cuius bien- nem cursum cum Venetiis inchoasset , Vicentiam regredi jussus est , ubi absolu- veret , eo consilio , ut Generalia Comi- tia inibi tum celebranda dignis tanto conventu disputationibus honestaret . Ea propter Eminentiss . Jo : Baptistæ Rubino Vicentinæ tunc urbis Episcopo , cum ob- egregiam Seminario suo præstitam o- peram mire jam carus esset , optatus ab eo rursus & expetitus , restitutus est in ejusdem Seminarii Rectorem . Id occu- pationis annos novem sustinuit ; neque interim literarum studia intermisit , quip- pe qui toto illo tempore nunquam de- stituit docere Philosophiam . Harum ve- ro rerum occasione factum est , ut inter

464

*Vitæ quatuor*

Patres totius Congregationis moderatores Apostolica auctoritate reconsenseretur. Cum enim uno confecto regiminis triennio, Romana permissione opus esset, ut alterum ingredi posset, proptereaque Cardinalis desiderium suum, hoc est, virtutes, & merita Patris Pontificiae Curiae literis declararet, atque hæc omnia per Jo: Franciscum Albanum S. R. E. Cardinalem agerentur: cum primum Eminentiss. Albanus totius Ecclesiæ gubernaculis admotus est, jussit Jo: Baptista Laghi satis explorati sibi meriti Patrem nihil tale tum fortasse cogitantem hoc in sua Congregatione titulo insigniri. A Seminario non ante digressus, quam etiam Cardinalis amantissimus a Vicentina Ecclesia divelli se passus Romæ in universæ Ecclesiæ veluti specula excubandum sibi esse duxit; ipse tamen adhuc Vicentia confedit in domo professa Ss. Philippi, & Jacobi, cuius ex præcipuis in Veneta Provincia Collegiis non multis post mensibus jussus est gubernationem inire. Inde ab una Præpositura traductus in aliam, atque interim in universæ Congregationis administratione aliquo etiam gradu sublimis, supremæ præludebat totius Ordinis dignitati, a qua jam non longe dissitus videbatur. Sed Clementi Sanctæ Memor. Papæ XI. visum est, magis ex re fore Chri-

Archiep. Spalat. 465

Christiana, si hæc perspecta sibi lucerna super editius candelabrum posita ad communiores usus exponeretur. Igitur Jo: Baptistam Laghi An. MDCCXX. Spalatensi præfecit Ecclesiæ; in qua quid gesserit annum jam quintum, & quid gerere, quoque merito perseveret, judicium esto posteriorum. Haec tenus enim illam percurremus inoffenso calamo vitam, quam Jo: Baptista vixit, consummatam jam, & a Sapientissimo Pontifice Opt. Max. judicatam; cuius idem ipse gloriam obscurare, si velit, nulla ratione possit. Deinceps cum ea, quam vivit [& perget vivire] aggredienda es-  
set, dictum nobis censemus illud ex Divino sermone: Ne laudes hominem in vi-  
ta sua; hoc est lauda post vitam, ma-  
gnifica post consummationem.

SPIE-

